



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Liborii Episcopi, Calculo Laborantium Patroni

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1648

Ad Lectorem maleuolum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12748

Ad Lectorem maleuolum.

Desine verba malis in nos armata venenis
Fundere, nec telis carmina nostra pete.
Nos tenues humili canimus sermone ca-
mœnas:

a *b* Non sunt *a* Tedigenæ aut *b* Buschia ple-
ctra mihi.

c Scripta *c* Palatino tua si Ioue digna putâris,
Nostra Liborinâ carmina laude beo.
Doctus si vndosum potis es nauare per equor,
In modico ludat nostra carina vado.

a Hermannus Kerfenbrock, alijs Kerfenbergh dictus, Monasterij superiore seculo Ludimagister, Historiam Anabaptisticam, siue bellum Monasteriense, eleganter & accuratè descripsit. Tedigenâ vocat Giessinus, quia cognomen eius Kerfenbroeck, quasi candelæ paludem sonat, vel Kerfenbergh, candelæ montem. Rectius fortè Cerasorum palus, monstretur: Kerse enim Teutonicè cerasum significat, Keerffe candelam.

b Hermannus Buschius Pasiphilus, Dulmanensis ex diœcesi Monasteriensi, multa carmine scripsit ac solutâ oratione, & Catholicus, & postquàm ab Ecclesiâ defecit; quæ recenset Gesnerus.

c Alludit, opinor, ad Buschij Hypanticon, Georgio Spirensi Episcopo, Philippi Electoris Palatini filio, dictum, quo solemnem eius in Spiram urbem introitum celebrat. Extinctus est Georgius sudore Anglico, ut tunc insolitus planè morbus appellabatur, 27. Septemb. anno Christi 1529. cum Episcopatum administrasset annos 16. uti Eysengreinius in Chronico Spirensi testatur.